esset Pericle potentior? respondisse legatur: quamvis
Pericles in bello a me sit victus, ea tamen praeditus
est facundia, ut non victus sed victor appareat
ita videlicet — — — quod ferro Martia virtus
non potuit, potuit sollers facundia quondam.
De immensis, quos Eloquentia parit, fructibus,
quid heic dicam? Eloquentia h. est, quae homines
etiam obscurissimos, umbraticos, humilique loco natos
nobilitat inque famae theatrum producit. Eloquentia
est, qua viri vivunt omni aevo perenniores. Elo-
quentia est, quae infima caveâ homines, homines spretos
et abjectos in summa dignitatum fastigia erexit,
inque augustissimum honoris solium collocavit. Eloquen-
tia est, quae Regum ac Principum favorem, quae
populorum benevolentiam, vel ingentem invidiam
multis conciliavit.
Concedite mihi Auditores, ut in hoc Orationis cursu
cujus difficilius erit exitum invenire, quam princip[ium]
sensim quaedam de summo Eloquentiae usu dicam,
seorsim quidem, fusiusque de summo usu, quem prae[stat]
publice. Haec ipsa et privatim est utilis apprime
Eloquentia. nam sustinendi sunt animi? instruit
Eloquentia: monendi sunt? monet Eloquentia: hor-
tandi sunt? hortatur Eloquentia. consolandi sunt?
nobile spargit nepenthes Eloquentia: compescendi
sunt? frenum injicit Eloquentia. Sanandi sunt
ipsa est Panacea Eloquentia. deliniendi sunt? fit
Sirenula Eloquentia. hac hac amicitiae conglutina[n]-
tur, hac in congressibus, in salutationibus, in petitio[nibus]
in invitationibus in gratulationibus animi conciliant[ur]
hac denique discissi maledica lingua animi reconcili[an]-
tur. Atque sic omnino Eloquentia privatim facit ad instru-
endum, ad monendum, ad hortandum, ad consolan-
dum, et ad alia vitae humanae, quorum pleraque recta
sui officia, domesticis, vicinis, amicis denique nullis no[n]
debita. Publice, quantum prosit Eloquentia,
nunc dicam? Ipsa sc. Eloquentia est, sine qua [lu]-
gent pul[pita], sordent rostra, putent scholae subsellia.
Eloque[ntia est], sine cujus ornamento nec Praeses scho-
lae, nec [rector]s Ecclesiae clavum tenet cum laude.
Haec ma[gistr]is in Ecclesia Doctoribus, in schola
Praeceptor[ibus] est Eloquentia, Auditoribus ac Discipulis
grata et accepta. Sed et foro inservit Eloquen-
tia, facit n. ibi ad propugnandam justitiam, [quae]
Reipublicae fundamentum. In Curijs, quantum pro-
sit Eloquentia, quis jam dubitaret, quum Eloquen-
tia rebus omnibus sit potentior? per hanc sane r[eti]-
netur libertas, propagatur dignitas, conservantur
provinciae et Respublicae: feruntur per hanc oppres-
sis patrocinia, excitantur per hanc cives, datur per
hanc miseris et afflictis rebus auxilium, liberantur per
hanc alij e periculis: gubernantur per hanc optime
Civitates: sedantur per hanc plebis seditiones ac discor[diae]